



Disputatio de Votis. : Sancta Triade auspice.

<https://hdl.handle.net/1874/428359>

M *P*


DISPUTATIO
de Votis.

Sancta triade auspice.

AUTHORE ET

PRÆSIDE, IACOBO HEER-
BRANDO, S. S. THEOLOGIAE DO-
ctore, & Professore in Academia Tübingeri, Pre-
ceptor suo honorando, ad subsequentia themata,
pro ingenij sui tenuitate, exercity causa, die
Marty: 8. hora sexta, loco consueto,
respondebit.

BALTHASAR VISCHER GRAE-
zensis, S. Theologie Studiosus



Per Alexandrum Hockium, Anno 1586.

GENEROSIS ET MAGNIFICIS STIRIAE PRO- ceribus, eiusdemq; Ducatus Ordinarijs, Do- minis suis officiose colendis.

S.

ANTE biennium, Generosi & Magnifici Domini, ciuem vestrum & alumnum, Balthasarem Fischerum, huc ad nostram Scholam, propter studia Theologica potissimum, vestris mihi commendatum literis, misitis. Et quidem agnosco ac libenter facio, me hoc fine in hanc honestissimam stationem collocatum, ut cum alijs, studia iuuentutis formem. Quod hactenus per Dei gratiam, pro virili facere studui, licet meam tenuitatem facile agnoscam: spero tamen laborem meum, sicut & Collegarum, non fuisse irricum in Domino. Laude autem dignum est institutum vestrum, quod sicut ad studia iuuentutis promotuenda, magnis sumptibus Scholam aperuistis, in qua liberalium artium, linguarū & disciplinarum, ac pietatis fundamenta, undique conuocatis viris doctissimis docerentur: ita paricura, de publico in eadem, bona ingenia, de quibus spes est, aliquando Ecclesie vestrae usui, ornamēto, præsidio & emolumēto fore, fouetis. In quorum numero, hic quoq; Balthasar vester est, qui profectus sui, in studio Theologico, ut & vobis temporis hic apud nos acti, & sumptuum rationem redderet, specimen aliquod adere tyrocinium, facere constituit. Qua in parte illi deesse nolui, sed conatus ipsius honestissimos, iuvandos esse putau, prescripta hac materia, de Votis, & ad disputandum proposita, in qua vires ingenij experiresur.

Hanc

Prefatio.

Hanc nomini vestro, Magnifici & Generosi Domini Proceris, ipso petente, quo gratiorem se redderet, inscribere volui, simulq; studia ipsius V. M. & G. commendare: & petere, ut deinceps quoq; ea, vestra liberalitate, quod facitis, iuuare & promouere non grauemini. Quó feliciter cepta, aliquando adhuc continuare liceat, & deinde maiori cum fructu, Ecclesie vestra præesse, Deo iuuante, laboribusq; eius incrementum dante, possit. Quod vos pro vestra pietate & sapientia, haud difficulser facturos confidimus. Viciissim ipse in id incumbet unicè, ut operam suam & studium omne ad id conferat, ut instructus & auctus scientia, rerumq; sacrarum cognitione, domum reuersus, utiliter suo Ministerio seruat Ecclesie. Quod faxit Deus pater liberatoris nostri Iesu Christi, qui & Generosos & Magnificos vos Ecclesie, atq; studiorū patronosq; diutissime florentes conseruet, & pietatem hanc in altera beata vita, gloria sempiterna compenset, Cui uni, soli, vero Deo V. M. & G. nosq; omnes comendo. Scripsi

Tubinge die AEquinoctij verni

Anno 1586.

Vestram generosam
Magnificentiam.

Summa obseruan-
tia colens.

Iacobus Heerbrand D. &
Professor Theologizæ in
Academia Tubingensi.

DISPVTATIO DE VOTIS.



Rebra & frequens est, & fit in scriptura sa-
crosancta Veteris Testamenti, votorum mé-
tio, Leuit 27. Num 6. 30. Deut. 32. Et pa-
sim in psalmis. Eccl. 5.

Gen. 28.

2. Et quidē in ea primus scribitur Pa-
triarcha Iacob, voto promissē Domino,
vt si eū custodiret in suo exilio, saluumq; reduceret domū:
templum se extructurum, in quo publicus institueretur &
exerceretur cultus, decimasq; omnium suorum bonorum
ad ministerij conseruationem daturum esse.

Gen. 28.

3. Quod tamen minimè pharisaica opinione meriti, eum
fecisse est existimandum: vt videlicet hac voti obseruatione,
Deum sibi reconciliaret, peccata sua expiaret, vitamq; me-
rerotur æternam.

4. Hac enim omnia & singula iam antea se habere ex se-
mine benedicto, de se nascituro, in quo benedicenda erant
omnes familię terrę, certus erat: sicut nocte præcedente ex
Deo ipso, eiusq; concione & promissione insigni, quem-
admodum et sc̄pius antea ex suo parente audierat, & in vi-
sione scalæ viderat.

Ioh. 1.

Luc. 1.

5. Huic promissione credens Jacob, filius Dei & hæres
omnium beneficiorū Messiaæ, ex se nascituri, factus est, sicut
& Elizabeth D. Mariæ virginis & matri Saluatoris, dixit: Et
ô beata, quæ credidisti.

Deut. 23.

Eccl. 5.

6. Postea Dominus certas in lege Mosis vouendi & voto-
rum rationes prescr̄psit, locis supra annotatis, easq; seruari
voluit. Vouete & reddite Domino Deo vestro. Item: Cum
votum voveris Domino Deo tuo, ne moreris reddere, quia
requiri illud Dominus Deus tuus, si moratus fueris, repu-
tabitur tibi in peccatum.

7. Hæc Pontificij ad stabilienda sua vota impia cœliba-
tus impuri, & perpetui, & alia, male ex Testamento veteri

ad

De Votis

ad Nouum, & sua vota applicant, pro eisq[ue] tanquam pro-
aris & focis pugnant: nescio quæ merita illorū obseruatō-
ni affingentes: Quod sint cultus, qui mereantur remissio-
nem peccatorum, & iustificationem, satisfactiones esse pro
peccatis, meritum vitæ æternæ, Pares Baptismo, perfectio-
nem Euangelicam, opera & merita supererogationis, quæ
alijs vendiderunt &c: Cum in Nouo testamento nulla pror-
fus horum, neverbulo quidem vnico fiat mentio.

8. Operæ igitur precium facturos nos iudicauimus, si,
quid de Votis, secundum sacras scripturas sentiendum sit,
in medium proferamus.

9. Est autem Votum, spontanea promissio, præstandi
res DEO, quas possumus, & ipsi gratas esse scimus, vt ei
debitus honor tribuatur, & gratitudinem nostram erga
ipsum, propter accepta ab eo beneficia, declaremus.

10. Ad vota enim nemo cogendus, sed libera sunt. Sicut
N. Test. etoto cultu Spiritus sanctus per Dauidem pronun-
ciat: Populus tuus spontaneus offeret tibi in ornatu sancto,
post victoriam tuam.

Pſ. 110.

11. Ideo malè faciunt, etiamsi Monasticè Deo probare-
tur, qui suos detrudunt in monasteria, & ad vouendum vir-
ginitatem inuitas cogunt: Vel iuuenes iudicio carentes, il-
lecebris quibusdam & persuasionibus irretiunt, vt propter
ventrem incauti voweant, Molach se deuouentes.

12. Sicut Isidori sententia inter alia habet, quæ à Magistro
sentent: recitat. Quod incaute vouisti, ne facias: impia est. *Magister sent.*
lib. 3. dist. 39.

13. Diserte autem & recte dicitur: Vouendas esse res
DEO, & non Idolis, vel sanctis hac vita functis. Sicut in tota
sacra scripture habetur. Si quis virorum votum DOMINO
vouerit, non faciet irritum Verbum suum. Item: Vouete
DOMINO: Et, redde ALTIS SIMO votata.

Num. 30.

Deut. 23.

Pſ. 75.49.

14. Vnde grauissimè peccant Pontificij, qui se, suaq[ue]
vouent mortuis hominibus, quos in auxilium aduocant,
in necessitatibus constituti, Opitulatores. Quibus postea li-

A 3 berati,

de votis.

Berati, anathemata offerunt, quæ illis voverunt: vt Idolo-
latras se, & non synceros DEI cultores esse, probent.

15. Vouenda autem DEO sunt ea quæ præstare possumus. Ad impossibile enim nemo obligatur.

16. Sicut qui vount virginitatem perpetuam, cum domino hoc destituantur.

17. DEVS enim hominem condidit & benedixit, vt sit fœcundus & multiplicetur. Hæc DEI creatio & ordinatio non tollitur, nec mutari potest ullis votis aut legibus, sicut nec sexus, vt vir non sit aut maneat vir, mulier mulier. Hoc enim perinde est, ac si quis voueat, se corpore suo subuolaturum in cœlum.

18. Nam quod precibus à DEO virginitatem & continéti-
am se impetrare posse nugantur, stultitia est, ex Christi di-
cto non recte intellecto proueniens: Quæcunq; petieritis,
dicentis, in nomine meo, credite, & fieri vobis.

19. Ea enim sola petenda sunt, quæ DEVS petere præce-
pit, & se daturum promisit. Quia ex fide precationem pro-
ficiisci necesse est. Fides autem verbo DEI nititur.

20. Sed ubi Deus virginitatem illam perpetuam se datu-
rum quibusuis promisit? Cum rarum sit hoc Dei donum,
& per paucorum, cuiusq; contrarium DEVS dixit & fecit,
Masculum & fœminam creans eos dicens: Crescite & mul-
tiplicamini.

21. Cum natura igitur, imò cum Deo ipso hoc est pugna-
re: vt interim experientiam taceamus istorum castorū, ange-
lorum potius quam hominum cælibum, quod dies Domi-
ni declarabit, quot casti cælibes, & virgines incorruptæ cor-
pore & Spiritu permanserint, conscientias etiam hodierno-
rum hypocritarum, qui adhuc latent, & celare possunt furti-
uas libidines suas, appellamus.

22. Non enim solum corporis virginitas requiritur, ne
illa violetur aut corrumpatur, sed etiam animi, dicente A-
postolo: Virgo sit sancta, corpore & Spiritu. Quod rarissi-
mum est. Vnde Cassianus Monachus de se scripsit: Mulierem
ignoro, & Virgo non sum.

Disputatio

23. Ita ut nusquam minus sit castitatis & virginitatis, quam
in ijs qui eam vouent, sed omnia eorum, & mens, ac cogitati-
ones, & corpora, polluta sint, vel immundis fluxibus, quibus
subinde polluuntur, vel perpetua vstione, & flammis libidi-
num, aut scortatione vel mollitie, aut alijs Sodomiticis ne-
phandis sceleribus, sicut ante septingentos annos S. Vdalri-
cus ad Papam Nicolaum. i. scripsit, & infra ex Tertull. & Cy-
priano dicemus. Iterum conscientias illorum appella-
mus.

24. Quare recte idem Apostolus, remedium diuinitus
ordinatum ostendens, Melius inquit, est nubere, quam viri.
Quod repetens Gregoriu... agnus, cum (vt Epistola eius-
dem D. Vdalrici Episcopi quondam Augustani, habet) ipsi
significaretur, reperta esse in lacu Monasterio vicino, sex mil-
lia capitum infantium, respondit. Apostolus dixit: Melius
est nubere quam viri: Ego autem dico: Melius est nubere
quam mortis occasionem præbere.

25. Deinde vouenda sunt, quæ in nostra sunt potestate.
Vnde in veteri Testamento, mariti & parentes, vota vxorum
& liberorum suorū, qui in patria erant & maritali potesta-
te, impedire & tollere poterant, si eadem die, qua ipsis inno-
tescebant, irrita esse pronunciarent.

26. Quia in parte grauissimè peccant Pontificij, quod vo-
ta liberorum contra parentum voluntatem facta, seruari vo-
lunt. Pluris hypocritæ sua, quam Dei præcepta facientes.
Illa enim ut seruent, hæc eos irrita facere volunt. Sicut Chri-
stus Pharisæis simile quid exprobat Matt. 15.

27. Tandem ea vouenda sunt, quæ DEO grata esse sci-
mus.

28. Hæc autem non ex ingenio humano cognoscuntur.
Non enim ex sola hominis intentione, cultus & opera Deo
grata, estimanda sunt. Non quod tibi, inquit, videtur, facies
Domino Deo tuo: sed quod ego tibi præcipio, hoc tantum
facies Domino Deo tuo. Nihil addes. Et Saluator dulcissi-
mus, cum suo Apostolo, ex Isaia quoq; Prophetæ, εριλεθητο-
να... Pharisaorū veterum & recentium, priusquam natæ
essent,

Num. 30.

Dicit. 4. 12.

Disputatio

essent, dāmnauit: frusta doctrina hominum & mandatis co-
li se afferens.

29. Ex præscripto autem verbi Dei cognoscitur, qui cul-
tus, quæ opera & vota Deo sint grata. Sicut in leg ediuina in
specie docetur: Quæ nam sint vouenda, & qui ius & potesta-
tem vouendi habeant, quæ rata sint, quæ verò irrita vota, di-
ctis locis supura.

30. Vnde impia & illicita vota DEVS fieri, & facta, cum
impletio sine peccato præstari non potuit, prohibuit.

Deut. 23.

31. Manifesta sunt scripturæ testimonia: Non offeres
mercedem meretricis, nec precium canis in domo Domini
Dei tui, in quocunq; voto (hoc est, si maximè quis tale vo-
niasset) quia abominatione est vtrumq;.

32. Sic David iurans per Dominum, se interfectorum
Nabal cum omnibus suis, peccauit. Quod si seruasset, graui-
us peccasset. Rectè autem fecit non seruando. Quod agnol-
cens Vnde & gratias egit DEO, quod Abigaelis interuentu,
prohibitus fuerit.

Judic. II.

33. Sic Iephthe incaute vouit, quod primum egrediens
de domo sua, obuiam veniret sibi redeunti ex pugna victori,
se Domino in holocaustum oblaturum, & temerarium vo-
tum emittendo peccauit.

34. Postea vero grauissimè voti obseruatione peccauit,
filiam suam offerendo in holocaustum, sicut verba sunt ma-
nifesta, quod fecerit ei, ingenti cum animi cruciatu, sicut
vouerat.

*Ambr. lib. I. offi-
cior. cap. VI.*

35. Non enim, vt quidam volunt, virginitatem perpetu-
am vouit, quæ tum temporis in populo DEI vsu non fuit re-
cepta: sed postquam virginitatem suam duobus mensibus
desleuisset, fecit ei sicut vouerat. Vouerat autem se oblaturum
illud quod primum egredetur, HOLOCAVSTVM
Domino. Sicut & D. Ambrosius Iephthe reprehendit, quod
promissum parricidio soluerit. Deum enim non delectari
fanguine humano.

36. Sed minimè DEO grata fuit hæc voti impletio: Ve-
rum

Disputatio.

nūm damnantur pāssim ab ipso , qui humanis hostijs ipsi
litauerūnt , & dæmonijs ea, non sibi, offerri pronunciat.

*Deut. 32.
Psal. 106.*

37. Sicut qui miseris puellas, dono virginitatis carentes,
in Monasteria detrudunt. Ideo postea adultiores factæ , &
parentes & propinquos, quorum consilio & opera id factum
est, in inferni inferiora, (quod notum est & s̄epe factum)
damnant.

38. Duplex autem votum faciunt, Commune & Singulare.
Commune quod omnes faciunt in Baptismo, cum spondent
renunciare Diabolo, & pompa eius.

*Magister sent
lib. 4. dist. 38.*

39. Quod alij votum primi præcepti vocant, in quo, sicut
& in Baptismo, se nostrum fore DEVM propitium, nosq; re-
missis peccatis, in gratiam recipere, ipse pollicetur, vnde
bona conscientia sequitur, vt Apostolus Petrus habet. Nos
verò vicissim eum nostrum DEVM agnoscere, in ipsum cre-
dere, eiq; obedituros vovemus & promittimus.

1. Pet. 3.

40. Hoc votum, summos DEI cultus complectitur, fi-
dem, agnitionem, dilectionem DEI, inuocationem, & gra-
tiarum actionem.

41. Hoc alij Morale votum appellant (si enim de re con-
stet & conueniat, de vocabulo nolumus contendere odiosè)
quod etiam omnibus commune esse debet, vt DEVM recte
agnoscant, celebrent, & postea pro facultatibus & vocatio-
ne Ministeriū verbi, & cultus diuinos promouere studeant,
quod charitatis votum quoq; appellant, sicut etiam Ele-
mosynæ, Stipendia.

42. Hinc vota etiam in lege, quibus cum DEO egerunt,
ei voverunt liberè, s̄pè nullius rei alterius respectu, sed
sponte ad cultum diuinum & gloriæ DEI illustrationem, ex
fide. Sicut ad tabernaculi structuram Israelitæ. Postea Da-
uid, Israelitarum Principes, plurima consecrarunt in futu-
ros tabern vſus aculi.

43. Vel cum impetrare aliquid à DEO cuperent, vt ipsi
postea pro acceptis ab eo beneficijs, aut liberatione ex peri-
culis, & malis, gratias agerent.

Disputatio

1. Sam. I.

44. Item cum in periculis versarentur, voverunt DEO, pro consequenda liberatione, vel ut sui voti fierent compotes, vt Hanna mater Samuelis.

45. Quæ et si libera erant, lege tamen DEI certus modus, norma & regula est constituta, vt non licet pro arbitrio, sed secundum verbi DEI præscriptum vovere.

46. Ea postea D E V S seruari voluit, ne videretur rideri, & contemni, nomenq; suum inuanum usurpatum. De quo in Scriptura sacra plurima: Vouete & reddite. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.

47. Vouebant autem in lege Mosaica, vel semetipso homines, D E O, suasq; animas, quas postea certo redimebant precio, vel pecudes ad sacrificia, vel alia bona, domos, agros, donaria ad tabernaculi strukturam, omnis generis metalla, clinodia, &c.

48. Singulare vocant Pontificij votum, vt cum aliquis sponte promittit seruare virginitatem, vel continentiam, aut aliquid huiusmodi: de quo postea.

49. Singulare fuit Iacobi Patriarchæ, quod ad certum modum voti. Hic enim auditæ promissione diuina, de DEI erga se clementia, semine benedicto ex se nascituro, possessione terræ Chanaan, protectioneq; diuina: vicissim gratitudinem suam erga DEV M, voto factō promittit, se erectum in isto loco templum, & ad cultum, sacra, Ministerijq; Ecclesiastici propagationem & conseruationem, decimas daturum pollicetur.

Num. 6.

50. Sic singulare in veteri Testamento votum fuit Naziræorum, qui vel perpetuò, & per omnem vitam, vt Simson, Iohannes Baptista: vel ad certum tempus, ceremonias istas, in lege, de hac voti specie præscriptas, obseruabant.

51. Quæ fuit Pædagogia in Christum, qui verus fuit Naziræus, sanctus ab utero, conceptus de Spiritu sancto, legemq; D E I perfectè impleuit. In quem credentes, à legis maledictione sunt immunes.

52. Atq; ita vota partim fuerunt moralia & charitatis,
quæ

de votis.

quæ aliâs debentur DEO, etiam si nō voleantur, quâlia sunt fides, inuocatio Dei, gratiarum actio.

53. Addebatur autem votum, non quod Deo esset gratius, si ex voto fiat, aut plus mereatur propter votum: Sed propter voluntatis humânae in constantiam & mutabilitatem. Solent enim homines in angûstijs constituti plurima Deo promittere, quorum postea liberatos pœnitet, quæ significatio est animi ingrati, obliti beneficiorum à Deo acceptorum, & contemptus Dei, pugnans cum præceptis De-calogi.

54. Partim autem ceremonialia fuerunt vota, eaq; plura, vt sacrificia: quæ tamē non perse & propter opus ipsum Deo grata fuerunt, vnde & sâpe Dominus hac opinione efferentes, grauissime reprehendit.

55. Sed pædagogia fuere in Christum, eiusq; typi, quo adueniente, cessauerunt ista omnia, & cum vniuerso cultu Leuitico sunt abrogata.

56. Ideoq; hoc quod de voto Iacob dicitur, prorsus nihil ad vota monastica, quæ sunt impia, præsertim Cœlibatus.

57. Illud verò piùm fuit ac morale, gratiarum actionis, & ad ministerium Ecclesiasticum, eiusq; sustentationem & cōseruationem destinatum.

58. Sicut nec reliqua veteris Testaméti vota, quicquâ ad monastica vota. Illa enim inter alios fines, ad Leuitarum sustentationem, cultusq; & templi conseruationem pertinebant. Quod in lege ordine multis & copiose describitur.

59. Hæc autem Leuitica vñâ cum politia Mosaica abrogata, nihilq; ad nos Christianos. Si enim à votis Veteris Testamenti, ad vota noui Testaméti est argumentandum, tum retinendum erit etiam votum Naziræorum. Quod absurdum esse, nemo non videt, nisi cæcus. Quemadmodum etiam discrimina vtrorumq; Leuiticorum & Pontificiorum votorum sunt manifesta.

60. Iudeorum vota fiebant secundum præscriptum verbi Dei, vt videre est in locis, prima thesi annotatis. Pontifica, Monachorū vota, destituuntur verbi Dei testimonij.

Disputatio

61. Deinde non liberum erat apud Iudeos cuius, pro arbitrio vovere, quodlibet: Sed verbo Dei definiti erant certi limites, intra quos manendum erat, ita utius superioribus suum semper manserit saluum.

62. Parentes enim & mariti potestatem habebant, vel confirmandi, vel irrita reddendi vota vxorum & liberorum.

63. Quam potestatem Papa, ut supra quoque attigimus, eripit parentibus, ut propter suum mandatum, Dei violetur preceptum: Quo aduersarium Dei, & supra Deum, & sic Antichristum se esse declareret.

64. Praetera vota illa non fuerunt perpetua, sed certo tempore durabant, ut etiam Nazirorum plororumque, paucissimis exceptis, propter certas causas.

65. Pontificia vero vota, praesertim Monastica, & inter ea infelix illud, Celibatus & Virginitatis, perpetua sunt, per omne durantia vite tempus.

66. Nec magis ad nos Christianos, Leuitica vota pertinent, quam sacrificia illa & circumcisio Iudaica, que in Ecclesiam reuocanda non sunt.

67. Huc accedit quod in Nouo Testamento adeo de votis nihil extet, ut etiam nomen ipsum sit ignotum.

68. Nam quod in Actis legitur, Paulum habuisse votum id veteris fuit legis ceremoniale, quod ad tempus, propter infirmos seruavit Iudeos, factus Iudeis tanquam Iudeus, ut omnes lucriferaret, & synagogam cum honore sepeliret, ut Hieronymus loquitur.

69. Non autem negamus, nec disputamus, Vtrum licita vota, hoc est, promissiones Deo factae, sint seruandae. Talia enim non improbamus, sed rata haberi volumus.

70. Etsi enim propter mandatum Dei teneamus Eleemosynis iuuare pro nostris facultatibus pauperes, & sumptribus studia docentium & discentium Verbum Dei, & alias honestas artes & disciplinas fouere, quod Charitatis est, etiam nullo intercedente voto.

71. Tamen non in specie quota aliqua certa præcipitur: Sed modus certus & circumstantiae sunt singulares, & cuique liberum.

Aff. 18. 21.
I. Cor. 9.

de votis.

liberum relinquitur , quantum quisq; definire & dare velit ad istas largitiones. Sicut Apostolus disertis verbis scribit, de collectis: Vnusquisq; vestrum apud se reponat recondens, quod ei benè placuerit.

I. Cor. 16.

72. Et hoc Charitatis votum dici potest, quo liberum est alicui se obstringere hoc modo: hoc est firmo proposito apud se decernere, quid & quantum in pios usus largiri velit. Quod votum emissum seruare tenetur, sicut scriptura dicit: si quid voulisti Deo, ne moreris reddere. Dispicet enim ei infidelis & stulta promissio. Sed quodcunq; voulteris redde. Multoq; melius est non voulere, quam post votum promissa non reddere.

Ecc. 5.

73. Sed hoc loco in primis de votis Monasticis agitur, quibus obedientiam erga regulam ordinis, paupertatem, & castitatem perpetuam vount, agimus.

74. Hac verbo Dei destitui asserimus. Ideoq; non modò frustaneos cultus, ut pote doctrinas hominum, sed etiam peccata esse pronunciamus. Quia non ex fide, quæ ex verbo Dei est, atq; ita damnabilia. Quare illis renuncandum, & reuocanda.

Rom. 14.

75. Nec est quod nobis illud Samuelis obijeciant: Melior est obedientia, quam victimæ. Loquitur enim non de quauis, sed quæ erga Dei verbum est, obedientia, ut ibidem immediate sequitur: Nunquid holocausta vult Deus & non magis, ut OBEDIATVR VOCI EIVS. quæ epexegesis est præcedentium:

I. Sam. 15.

76. Sicut etiam nullius est momenti, quod Aduersarij hoc prætextu & colore quæsito, Monasticen defendere conantur: quod nulla talia vota sint prohibita in Scriptura.

77. Eo ipso enim quod carent verbo Dei, vota monastica, contra Deum, eiusq; verbum esse pronunciamus. Nam quod à Deo præceptum nō est in cultibus diuinis, idem est, quod prohibitum. Iuxta illud: Non quod tibi videtur, facies Domino Deo tuo. Sed quod ego tibi præcipio, hoc tantum facies Domino Deo tuo. Nihil addas.

Deut. 4. 24.

78. Deinde damnamus falsa votorum Monasticorum

Disputatio

Verba pontificio ordinis, & Regularum istarum præconia, quod iactant, sarcas literis expressum: Monasticam vitam, debita obseruatione custoditam, quam per gratiam Dei, quilibet monastici custodire possunt, MERERI VITAM AETERNAM, & quidem multò auctiorem; Christum eis promisisse, qui reliquerint domum, agros, &c.

bere nostris petētibū non sunt aut si. 79. Blasphemia hæc est in Christi passionem, meritum, sanguinem & obedientiam, horrenda, & in vera Dei Ecclesia abominanda.

80. Et impudentissimè ac impiissimè dicitur, quod sarcas literis expressum sit, Monasticè mereri vitam aeternam.

81. Vbi enim sacræ literæ loquuntur de Monastica? Cum figmentum sit cerebri humani, longè post Apostolorum tempora excogitatum.

*Gal. 3.
Rom. 6.
Col. 1.* 82. Ac contumelia Christum afficiunt, dicentes, opera Monastica vitam aeternam mereri, cum sint doctrinæ hominum. Et Deus ne quidem operibus legis suæ hoc tribuat. Sed hic honor proprius est Christi, cuius solius meritum est & donum, vita aeterna. Cuius gratia saluati sumus.

83. Sic falsa, mendacia, impia ac blasphema sunt Monastices encomia, quod sit status perfectionis. Cum Christiana perfectio constet, non operibus nostris, sed fide in Christū, qui nostra est, vt iustitia, ita & perfectio, in quo perfecti sumus. Iuxta illud: vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu.

84. Similiter & hoc, quod par sit Baptismo ingressus in Monasterium, & Professio, atq; suscepit ordinis Monastici.

85. Sicut & consecratio cucullæ monasticæ.

*Frater Pet. à Soz.
to in sua cathol.
confess. contra
confess. V. Virtutem
bergensem.* 86. Item quod virginitas Claustralium, maxima sit peccatorum satis factio, & meritum vitæ eternæ.

87. Item quod Monachi opera habeant supererogationis, quæ alijs pretio vendunt, & mereantur vitam aeternam, non sibi solis, sed & alijs, qui eorum participes fiunt, empitione.

88. Et quod non tantum præcepta seruent, sed etiam consilia

de votis;

consilia Euangelica. Nescientes quid Lex, quidue Euangelium sit. Et nemo sit omnium, præter unicum Mediatorem Christum, qui legem Dei perfectè implere posse.

89. Hi iam enumerati Pontificiorum & Monachorum de Votis monasticis, perniciosi, detestandi & abominandi sunt errores, & impietas maxima, ab Ecclesia anathematizandæ. Cum quæ optima sunt in votis Monasticis, Traditione sint & doctrina humana.

90. Non ignoramus, peruetustum esse vouendi Virginitatem, & Cötinentiam, morem: ideoq; Scriptores Ecclesiasticos, quos Patres vocant, sicut & Monasticen, admiratos, & supra modum laudibus extulisse, durioresq; & rigidiores exactores obseruationis Votorum fuisse. Sed hoc temporibus est tribuendum. Contrahunt enim omnibus ætatibus homines, contagia quædam ab erroribus & vicijs sui seculi. Quibus vero Scripturæ S. testimonijs, in genuino sensu adductis, probent, non videmus.

91. Nec vota in veteri testamento hoc siebant fine. Aut si qui hoc vrouebant consilio (sicut nulli ætati deest superstitione & impietas) male fecerunt; & damnata est impia hæc illorum opinio.

92. Sicut Psal. 50. hoc nomine seuerissimè à Domino arguuntur Iudæi, quod sacrificia cumularent, impia hac opinione, quasi ipsum oblationis opus, sit peccatorum coram Deo expiatio. Non in sacrificijs, inquiens, tuis arguam te. Holocausta enim tua in cōspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos, neq; de gregibus tuis hircos, &c.

Psal. 50.

93. Cum tamen Deus ipse verbo suo, & vota ordinauerit, & sacrificia instituerit, quæ suauissimus odor aliâs dicuntur Domino.

94. Non ergo, vt dictum est, controuersia nobis cum aduersarijs est: vtrum vota sint seruanda. Diximus enim pia, iusta & legitima seruanda esse, impia vero & illegitima, non item.

95. Et sicut peccatum est impiè vouere, ita multò maior

Disputatio

est impletas & peccatum, impium seruare votum.

96. Et talium votorum & iuramentorum præuaricatores, Deo magis placent, quam eorum accuratae obseruationes, quemadmodū superius exposuimus & probauimus.

Citatur hec 22. q. 4. in malis. scinde fidem. In turpi voto, muta decretum. Quod incaute vovisti, ne facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur.

97. Sic & verba Ifidori habent: In malis promissis, disputatur.

98. Sed primum, quid vovendum sit, de quo supia, disputatur.

99. Virginitatis votum, ex sacra scriptura probari non potest. Ideo nec à Deo, vel iure diuino: sed periculosa, & perniciosa traditio humana.

Tertull. de Virginitate.

100. Quod & fructus coactæ & invitæ virginitatis statim ab initio declarauerunt, vt Tertull. & Cyprianus scripserunt. Non enim confitebuntur, inquit ille, nisi ipsorum infantium suorum vagitibus proditæ. Quantum autem plures non etiam de pluribus sceleribus suspectas habebis? Dicam, nolim: Difficile mulier semel sit, quæ timet fieri, quæq; iam facta, virginem mentiri potest sub Deo. Quanta item circa uterum suum audebit, ne etiam mater detegatur? Scit Deus, quot iam infantes & perfici, & perduci ad partum integros duxerit, debellatos aliquandiu a matribus. Facilius concipiunt semper, & felicissimè pariunt huiusmodi virgines, & quidem similimos patribus. Hæc admittit flagitia, coacta & inuita virginitas. Cyprianus: Manus & oculi obstetricum s̄pē falluntur, Et si incorrupta fuerit virgo ex ea parte sui, qua mulier esse potest, potuerunt tamen ex alia parte corporis peccasse, qua corrumphi potest, & tamen inspici non potest. Hec sunt horribilia de initij voti virginitatis.

Cypr. lib. I. Ep. II.

Hebr. 13:

I. Cor. 7.

101. Contra, Honorabile, inquit Spiritus sanctus, coniugium in OMNIBVS. Item: Melius est nubere quam vri. Et iterum: Propter fornicationem unusquisq; habeat Vxorem propriam: & unaquæq; suum virum.

102. Nec fuit usitatum hoc virginitatis votum Apostolum

rum temporibus. Non ut laqueum vobis iniiciam, inquit Apostolus.

103. Nec à Deo præceptum. De virginibus inquit, præceptum Domini non habeo. Non poterat enim, inquit Ambrosius, autor coniugij, rem aduersam nuptijs, imperare, ne factum suum pristinum accusaret. Consilium autem do, ait. Existimo autem bonum esse homini, propter instantem necessitatem, sic manere.

104. Celibatum autem Christus liberum esse voluit & nō necessarium. Qui potest, inquit, capere capiat. Et Apostolus: Virgo si nupserit non peccat. Item: Si non continent, nubant. Melius est enim nubere quam viri.

105. Sed hodiè apud Papicolas castissimos, Draconis Legislatoris successores, piaculum est, & morte piandum.

106. Deinde quo fine id quod licitum est, vouendum, & vota præstanda sint, disputatur.

107. Aduersarij acriter contendunt, vota monastica, satisfactiones esse pro peccatis, & meritum vitæ æternæ.

108. Sed hæc falsa esse votorum præconia, & in Christum blasphemia, paulò superius ostensum est, & postea pluribus probabitur.

109. Neque enim per & propter hæc, aut virginitatem, si maximè eam sanctè & caste seruarent, instar bonorum Angelorum, vitam mererentur æternam.

110. Nam in Christo, sicut nec Dominus nec seruus: Ita nec mas nec fœmina, & sic nec virgo, nec maritus, nec cœlebs est, sed omnes unum in Christo. Unus Deus, una fides, unum Baptisma, hoc est, nemo ea ratione, qua virgo est, maritus, vel cœlebs, saluatur: sed quatenus Christianus, qui solus saluatur, quia credit in Christum, & est in nomine eius baptizatus, Matth. & Marci ultimo.

111. Coeterum de votis veteris Testamenti, satis in prædictibus dictum est, quod ea ad nos in Nono testamento nihil pertineant, neque nos obligent, cum Ceremoniæ peculiares fuerint pædagogice, cum reliquo cultu Iudaico abrogatae.

112. Quale etiam fuit Naziræorum ex præscripto Verbi

Ambr. super.

I. Cor. 7.

Disputatio

Dei in illo populo, & tempore, non opinione meriti remissionis peccatorum, & vite æternæ suscepimus: Sed exercitium erat pœdagogicum, quo admonebantur & testificabantur, ardua sibi incumbere negotia, ad quorum expeditionem opus esset singulari cura & meditatione rerum sacrarum.

Hebr. 10.

113. Ideo ienitè jam accommodatur ab aduersarijs ad vota monastica, quæ sicut totum vitæ genus, carent verbo Dei. Et impia est opinio observationis, ad expiationem peccatorum excoxitata. Cùm ex verbo Dei constet, solam Christi obedientiam, expiatorium esse sacrificium pro peccatis totius mundi, qua vñica oblatione in cruce facta, consumauit in æternum sanctificandos.

114. Et isti à vino, & omni quod inebriare poterat, abstinebant, toto Nazirætatis tempore. Cùm nullus sit Ordo Monasticus, quorum tamen numerus ferè innumerus, in toto regno Pontificio (quod quidem nos sciamus) qui à vino abstineat.

Col. 2.

115. Et à Christo nullum discrimin habitus, ciborum, potus, aut dierum jejunii certum, in Euangeliō sit præscriptū. Sed perpetua à nobis exigunt sobrietas.

Ier. 35.

116. Quemadmodum Apostolus dicit: Nemo vos judicet in cibo, potu, aut parte diei festi, &c: secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ, in superstitione, & humilitate, ad non parcendum corpori: quæ vocat elementa mundi.

117. Allegantur & Recchabitæ, quasi patrocinentur votis Monasticis, cùm tamen nihil cum his co[m]mune habeant.

118. Recchabitæ enim non voverunt Monasticen, sed audiuerunt & obseruarunt præceptum patris sui Ionadab, id que non superstitione meriti remissionis peccatorum & vite æternæ opinione, sed propter mandatum Dei. Honora patrem tuum.

119. Sicut Dominus quoq[ue] per Prophetam Ieremiam ibidem hanc eorum commendat erga parentem obedientiam, eamq[ue] Iudæorum opponit contumacia & inobedientię erga sua

Disputatio

erga sua mandata, & legem.

120. Sed hæc quoq; nihil ad illos Spirituales, quos sic vocant Patres, Regularumq; ab ipsis præscriptarum obedientiam. Contra quos Christus ad Pharisæos tales dixit: Nolite vocare vobis patrem in terra, unus enim pater uester, qui in cœlis est.

Matth. 19

121. Recchabitæ non habitauerunt in ædificijs: Monachorum claustra, sicut & Esauitarum collegia, magnificentiâ sua, Regum superent palatia.

122. Non biberunt vinum: Dum Monachorum, secundū vetus vulgatum dictum, stomachi, sint amphora Bacchi.

123. Recchabitæ fuerunt coniuges: Monachi abiurant coniugium.

124. Recchabitarum ritus, & obseruatio præcepti patris ipsorum, non fuit supravires eorum, sicut votum virginitatis & castitatis est.

125. Et sapienter intellexerunt ~~in idem cap~~ obseruandam esse in istis legibus à Ionadab ipsis præscriptis. Ideoq; cum ingruisset bellum, desertis tentorijs, in quibus ruri aliâs iuxta præscriptum patris sui commorandum illis erat, in urbem concesserunt, in alienis habitantes qdib; cum tamen lege cautum esset, ne ædes ædificarent, easue incoleb; rent.

126. Quod si aliqua ingruisset necessitas, & valetudo aduersa, qua de consilio Medicorum, in morbo aliquo graui, vino illis vtendum fuisset: Ionadab pater certè non adeo fuisset durus ac rigidus legum suarum exactor, ut non concessurus fuisset illis vini usum.

127. Sic quod Christus inquit, quosdam se castrare propter regnum cœlorum: non votum cœlibatus confirmat, cum vota huiusmodi nulla tum fuerint usitata.

Matth. 19

128. Neq; vult jugum hoc imponi, & laqueum injici his, qui dono castitatis carent, qnod homines se voto perpetui cœlibatus obstringere debeant, ut per cœlibatum & continentiam, regnum cœlorum consequantur, & me-

C 2 reantur.

Disputatio

reantur. Quæ hypocritarum istorum falsa, & in Christum
blasphema est superstitione.

129. Sed hoc dicit: quosdam qui donum hoc habent, ut
à matrimonio abstinere, & castè viuere possint: cœlibem
agere vitam, ut expeditius munus Apostolicum sibi iniun-
ctum, & absq; remora exequi possint.

130. In quam sententiâ Apostolus plurima, vbi etiam vir-
ginitatem & cœlibatum hoc consilio & fine, coniugio præ-
fert. Nequaquam autem ratione meriti vita, eternæ quæ do-
num Dei est gratuitum, in Christo Iesu.

1. Cor. 7.

Rom. 6.

131. Et hoc loco regnum cœlorum, ut multis alijs locis,
non vitam beatam cœlitum, sed ministerium & prædicatio-
nem Euangeli significat.

Matth. 19.

132. Citant & illud Christi, adolescenti inflato opinione
propriæ iustitiae, dictū: si vis perfectus esse, vade vnde om-
nia, quæ habes, & da pauperibus: pro confirmingo vulga-
tissimo suo errore, quod Monastice, status sit perfectionis,
quæ consistat in obseruatione voti ipsorum triplicis, pau-
pertatis voluntariæ, vel desertione facultatum, obedientiæ
& castitatis.

133. Sed hæc mera apud ipsos est hypocrisie, paupera-
tem iactantes in summa rerum omnium copia: obedienti-
am, cum nullum genus hominum sub sole, maiorem habeat
licentiam, quam isti deuoti: Castitatem, quæ quanta sit, lip-
pis & tonsoribus notum est.

134. Perfectio n. non in obseruatione humanarum con-
stat traditionum: Nec in voluntaria facultatum, aut verius,
quod ad istos, sacculi mendicitatis, desertione consistit. Hæc
enim peccatum est, si fiat absq; necessitate & mandato Dei.
Quia rerum diuisio & proprietas, dominia & possessiones
illorum, sunt ordinaciones diuinæ, approbatæ in præcepto
decalogi: Non furtum facies.

135. Alia est facultatum desertio, quæ fit mandato Dei, in
casu necessitatis, & confessionis, cum cogit Tyrannis, aut
bonis.

bonis cedere, aut negare verbum Dei. Hic habemus mandatum, vt potius omnia nobis eripi patiamur, non modò bona, sed etiam vitam ipsam, quam ut Christum, eiusq; Euangelium abnegemus. Hanc Christ⁹ probat, sicut addit, propter Euangeliū:

136. Ita hic adolescens vocatur, & iubetur à Christo omnia sua vendere, & dare pauperibus. Quæ singularis fuit vocatio, ad hanc solam personam tunc pertinens, ex certa causa facta.

137. Nec omnium est: Nec alios sic se sequi voluit Christus: Aut generalem & communem omnibus prescribere ad perfectionem, regulam (vt Monachi somniant) sed speciale fuit mandatum, quo Christus, iuuenis istius hypocritæ, suam erga omnia Dei mandata iactantis obedientiam, explorare, & ipso facto vanitatem eius refutare voluit.

138. Sed neque in venditione, & desertione facultatum perfectio eius consistebat. Verum in eo, quod addit: Sequente me. Perfectio erat futura iuueni illi, si fide Christum agnouisset, verum & diuinitus promissum Messiam, eiq; obediuerisset, cum sequutus.

139. Et grauiſſimus error est, imaginari, perfectionem Christianam in eo consistere, si quis fortunas & facultates suas pauperibus distribuat. Adeò enim ratione operum, coram Deo non sumus perfecti, vt Christus, pronunciet: Si feceritis omnia quæcunq; præcepta sunt vobis, dicite: Seruū inutiles sumus.

Luc. 17.

140. Et ubi maiores opes sunt, rerumq; omnium abundantia, quam quæ Monasteria possident? ubi etsi non singuli dicere possint, Hoc meum est: tamen cœtus iste, siue Conuentus, vel Monasteria, propria habent bona, quæ possident, Hoc nostrum est, dicentes. Ideoq; meræ verborum præstigia sunt & hypocrisis, quæ isti de voto paupertatis & facultatum desertione gariunt.

141. Quod inter alia quoq; votorum patroni afferunt locum Apostoli, de Viduis, quæ postquam luxuriata fuerint in

1. Timoth. 5.

C. 3. Christo.

Christo, nubere velint: habentes damnationem, quod primam fidem irritam fecerint.

142. Valde ineptum est. Cum Apostolus prosus nihil de vouendi instituto loquatur. Sicut & vouere virginitatem vel continentiam, tum in vsu non fuit. Et diserte negat Apostolus, talem se laqueum iniijcere velle. Quod fit per vota, quibus irretiuntur & capiuntur homines non secus ac auicula & ferae, tendiculis.

143. Quod ad viduas, de quibus Paulus eo loci agit. Aliæ iuniores erant, & in delitijs viuebant: has vult Apostolus nubere. Aliæ, Ecclesiæ sumptibus alebantur, quas tamen non vult recipi, nisi sexagenarias, quæ honestè vixerant, neminemq; habebant propinquum, à quo alerentur.

144. Sed quid hæc ad vota monastica, & sanctimonialia, quas sic vocant? Paulus vult eligi sexagenarias viduas, quæ publicis Ecclesiæ sumptibus alantur, & ministrent sanctis. Isti vero puellas sedecim annorum, laqueis votorum suorum implicant & involuunt, antequam usum rationis habeant, aut quid vires sufferre queant, intelligent, Cum Apostolus nullius voti mentionem faciat.

145. Verum detorquent isti, Apostoli verba de viduis illis loquentis, cum dicit: damnationem habentes, quod primam fidem irritam fecerint. Vbi primam fidem, de voto Continentiaz interpretantur.

146. Sed hoc èquè ineptum est, ut mitissimè dicamus. Fides enim nunquam & nusquam in tota sacra scriptura pro voto continentiaz accipitur, nedum prima fides.

147. Quod si maximè monstrare possent isti, fidem aliqui pro voto Continentiaz accipiendam (quod tamen nunquam probabunt) nequaquam tamen fides prima, pro voto primo, Continentiaz scilicet accipi posset.

148. Nunquam enim in Ecclesia vñstatum fuisse legimus, vt prius homines in ea, Virginitatem vel Continentiam vuerent, quam in Christu crederent, quæ prima est fides, quæ in Baptismo, & conuersione ad Deum concipitur. Sicut & D. Athanasius interpretatur, inquiens. Vñ vobis, qui primæ fidem Baptismi cœlitus institutam, irritam facitis: De quo voto supra 39. habetur.

de votis.

149. Hanc ergo primam fidem, viduæ istæ saginatæ eleemosynis Ecclesiæ, ut commodius postea nubere possent illis temporibus, quibus Christiani exosi erant vulgo, hoc est, Christianam, fiduciam scilicet, vñâ cum professione abijcabant, & postea vel ad Iudaïsum reuertebantur, vel ad Ethnicam impietatem deficientes, à Religione Christiana rebabantur.

150. Et hoc est primam fidem irritam facere. Id quod ex Apostoli verbis manifestum est, cum dicit: Postquam luxuriatæ fuerint vel lasciuire cæperint, aduersus Christum, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem reiecerunt, vt habet Erasmus, & addit, sensus est, illas descissæ à Christo.

151. Et fidem hoc loco pro vera, & Christiana saluifica fide accipiendam, ex contextu manifestum est, cum dicit: Si qua vero (vt Erasmus in annot. legit ex græcis Scholijs) suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & infideli deterior est. Vbi non de publica & solenni fidei, siue Religionis Christianæ abnegatione loquitur, sed quod licet verbis profiteantur, eam re ipsa tamen & opere negent. Sicut Tit. i. etiam in hanc sententiam loquitur: Verbis profitentur se scire DEVM, factis autem negant.

152. Aliter enim Apostolus de fide loquitur, quam Sophistæ, qui tantum de notitia historica intelligunt, qualis est & in Diabolis, de quibus alius Apostolus: Dæmones credunt & contremiscunt.

*Erasm. Annotat.
in N. Testam.*

loc. 2.

153. Non tribuit fidem his Apostolus qui in mortali peccato versantur, sicut Concil. Trident. fideles adulteros vocat. Ideo hic vtrobiq; dicit: Et eas fidem abijcere, quæ non curant propinquos, hoc est non retinere eas fiduciam istam, quod sint apud Deum in gratia: Et quæ aduersus Christū luxuriantur retrò Satanam conuersas, primam fidem rejicere.

154. Quod si omnino aduersarij contendat, de viduarum votis, quæ continentiam voverint, cum tamen vt s̄e dictum est, visitata tum non fuerint, accipienda hęc: cum addat, volo iuniores nubere: Ergo post votum licet nubere?

Disputatio.

Quod isti non concedunt, idq; contra antiquitatis autho-
ritatem.

155. Sic enim Cyprianus habet de virginibus, quæ virgi-
Cypr.lib. I Epl. II nitatem voverant: Si autem perseverare nolunt, vel non pos-
sunt: melius est ut nubant, quam in igne delitijs suis cadant.
August. lib. de S. Augustin. Hæ igitur quæ nubere volunt, & ideo non nubunt,
virginis. cap. 34. quia impunè non poslunt, melius nuberent, quam vreren-
Concil. Tolet. 8. tur, id est, quam acuta flamma concupiscentiæ, in ipsa con-
cupicitatur. 22. q. cupiscentia vastarentur. Et Concilium Tolet. Tolerabilius
+ Si publicis. est stulta promissionis vota reiçere, quam per inutilium
mensuram.

156. Item cum dicit, vidua eligatur non minus sexaginta
annorum. Ergo vota ante eam ætatem facta, erunt irrita: Si
quæ hic Apostolus de viduis, & prima fide loquitur, de voto
virginitatis & continentiæ sunt accipienda.

157. Et si maximè euincant Pontificij, fidem pro voto ac-
cipi, & de votis loqui Apostolum: Tamen hic locus non pa-
trocrinabitur votis Monasticis, quia sunt de impijs cultibus,
& etiam hac opinione, vt mereantur remissionem peccato-
rum, Iustificationem, & vitam æternam, hancq; auctiorem,
& aureolas in cœlo, vt Monachi fingunt, peculiares: quæ ho-
nori, officio, & merito Christi vnici Mediatoris detrahunt.

158. Hæc in genere de votis ex sacra Scriptura. Nimis au-
tem prolixum foret, hic sigillatim de tribus votis Monasti-
cis dicere, quod fundamento sacra Scriptura careant.

159. Ex quibus omnibus colligitur, vota Monastica irri-
ta & impia esse, nec eis impediri homines, qui continere non
possunt, ab honesto coniugio. Neq; periuros fieri, qui post
votum Cœlibatus, matrimonium contrahunt.

160. Cum humana tantum sit traditio, nec absq; scelere
impleri possit. Imò impossibile, illicitum, impium, & cum
mala conscientia seruatur, damnabile.

161. Nam quod quidam, hoc sibi blandiuntur prætextu:
quod voveant castitatem, in quantum possibile. Et hac ra-
tione

De voto.

tione etiamsi scortentur, votum tamen se seruasse arbitrantur.

162. Malam fouent causam, sibiq; pessimè, ac suæ saluti consulunt. Quasi verò etiamsi nullus castitatem voteris, impunè scortari liceat? Ethnicum hoc est, imò diabolicum.

163. Nequaquam enim liberum est castè viuere, vel non. Sed præcepti est & mandati: Ad vitandam fornicationem unusquisq; suam habeat vxorem, & unaquæq; suum maritū. Item, honorabile coniugium in OMNIBVS. Adulteros autem & fornicatores iudicabit Dominus. Et iterum: Neq; fornicatores, neq; adulteri, neq; molles neq; masculorum concubitores &c. regnum Dei possidebunt.

1. Cor. 7.

Heb. 13.

1. Cor. 6.

164. Quantorum igitur scelerū, nephandarum libidinū, infanticidiorū, causam fuisse, & quot millia millium hominum, votum hoc castitatis, & impurus cœlibatus, virginitasq; illa inuita, in infernum demersisse iudicabimus?

165. Hæc dies Domini in lucē proferet. Multorum enim peccata, qui cautè ea tegere adhuc possunt, reuelabit, de quibus rationem reddere cogentur iusto iudici, in illa die, quādo abscondita, quæ in tenebris, nullo teste, acta sunt, in lucem producit.

166. Et tamen tanta est adhuc Pontificum Rom. ciusq; regni exortas, hęc ut maxime videant, tamen videre nolint, tantaq; amentia, ut surda aure prætereant querelas, lachrymas, gemitus & clamores multorum honestorum hominū, imò ipsorummet peccatorum, in cœlum clamantium, quæ neque apud honestiores gentes fuissent tollerata. Nota enim est historia, quam ex Liuio, repetit Hieronymus, contra Iouinianum, de virgine vestali Minutia, quæ propter suspicionem stupri, viua est defossa. Id si hodie quoq; fieret, minueretur numerus earum.

167. Sed hæc nota est Antichristi, & doctrina Dæmoniorum ab Apostolo dicitur, prohibentium nubere & cibos.

Disputatio.

168. Qui locus non tam ad Tacianos, Manichæos & alios consimiles hæreticos (ad quos Pontificij sibi blandientes detorquent & referunt) qui simpliciter damnabant coniugium: quam ad Papam & papicolas, & quidem magis proprie, & maximè ad hos pertinet, qui prohibent (non enim damnasse videri volunt) coniugium & cibos. Prohibentium, inquit, nubere & cibos. Sed in hypocrisi loquuntur mendacium: nempe specie religionis, castitatis eximia, cultus. Sed cauterizatam habent conscientiam.

169. Quod si maximè pia essent, à Deo mandata & possibilia vota ista monastica: tamen facienda & probanda hœ fine non essent, Cùm sentiant, qui vount, se illorum obseruatione, remissionem peccatorum & vitam æternam, non sibi solum facientibus, sed etiam alijs quibus vendunt, qua faciunt, aut potius facere se fingunt, supererogationis opera, quibus factores non indigeant, mereri.

170. Et quam impiæ & prophana sint illorum de his votis, eorumq; obseruatione opiniones & superstitiones, præter ea de quibus in præcedentibus dictum, vel hinc manifestum est: quod etiam mortuis hominibus promittunt & vendunt introitum cœli, qui cucullas eorum induiti sepi liuntur.

171. Quo nomine præcipue Magnatibus & dñtioribus imposuerunt hypocritæ, hacq; superstitione, ad se bona & regna mundi rapuerunt. Quemadmodum olim Pharisei Harpyæ, quod Christus illis obiecit, prætextu longarū precum domos viduarum deuorauerunt.

172. Hæc imaginatio est & opinio impia, contumeliosa & blasphema in Christum, Apostasia à fide & abnegatio Christi, qui nos redemit, & nostræ est vestis nuptialis, quem induunt, quicunq; in eum baptizantur.

173. Et contumelia est manifesta Euangelij, quod docet nobis gratis remitti peccata propter Christū, eiusq; nobis impu-

Math. 22.

1. Tim. 4.

2. Pet. 2.

Gal. 3.

Eph. 28.

de votis.

imputari iustitiam ad salutem, & gratis donari vitam æternam.

Phil. 3.

Rom. 3.

Rom. 3.

174. Manifesta sunt testimonia Apostoli, quæ nulla possunt eludi sophistica: Nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & prophetis. Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum. Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem propositus Deus propiciationem per fidem in sanguine eius, ad ostensionem iustitie suæ, &c. Item: Gratia estis saluati, per fidem, Et hoc non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis glorietur. Et iterum: Donum Dei vita æterna, in Christo Iesu Domino nostro.

Eph. 2.

Rom. 6.

175. Hic honor Christi est proprius. Sicut in Propheta dicit: Veruntamen me seruire fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Et iterum: Torcular calciui solus, & de populis non est vir mecum. Et quæ habentur in toto Cap. 53. Quemadmodum & David cecinit: Ipse redimet Israel, ex omnibus iniquitatibus eius.

Esa. 43.

Esa. 53.

Psal. 130.

176. Crassus itaq; & palpabilis est, & fuit error pontificiorum de votis, vita, operibus & meritis monasticis, eorumq; eucullis sordidis & pediculosis: Et tamen superioribus temporibus tenebrarum, durante ira Dei, nondum resuelato Antichristo Romano, & adhuc proh dolor, in papatu, vulgo non animaduersus, aut agnitus, sed mordicus retinetur & male defenditur.

177. Quare qui querunt Remissionem peccatorum, non sola in Christum fidè, sed vel in proprijs aut alienis operibus Monasticis, aut alijs cultibus: tantum de honore Christi deplorant, trahunt,

Disputatio

trahunt, quantum suis operibus, quo ad iustificationem & vitæ æternæ meritum, tribuunt.

178. Quemadmodum hac opinione impia, Iudei Pharisæi ignorantes ad quem finem sacrificia à Deo essent instituta: fine vera pœnitentia cumulabant sacrificia, putantes illa per se, & ex operis dignitate, expiare peccata.

179. Sicut sacrificuli papistici, Missas suas prophanas multiplicant, eadem, imò & maiori impietate, cum à Christo non sit instituta Missa pontificalis.

Esa. 1:

180. Ideoq; à Domino reprobata sunt & damnata illa sacra. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus, plenus sum, Holocausta arietū & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & hircorum nolui. Et iterum:

Of. & Mich. 6. Misericordiam volo & non sacrificium.

Mat. 15.

181. Quod si Deus sacrificia à se instituta ista superstitione opinione meriti, ex opere operato oblata, respuit: quanto magis Monasticorum votorum obseruatio & opera, quæ sunt ab hominum ingenio inuenta & excogitata, impia ista opinione meriti, remissionis peccatorum & vitæ æternæ facta, reprobabit? Saluatore dicente: Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur.

182. Maledictus igitur Canon Conciliabuli Tridentini: Si quis dixerit, posse omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere dominum, Anathema sit.

1. Timot. 4.

183. Manifestè enim cum scriptura sacra pugnat, dicente Apostolo: De virginibus præceptum non habeo. Et: Melius est nubere quam viri: Et non vult Apostolus laqueum injicere. Item: si non continent, nubant. Ideoq; pertinet hic canon ad doctrinas demoniorum, prohibentium nubere.

Nos Deo optimo maximo, toto pectore & omnibus quibus possumus modis, gratias agamus pro accensa luce doctrinæ cælestis, qua errores papatus crassissimos, teterrimos, innumeros, perniciosissimos ac damnabiles detexit, nosq;

nosq; immensa sua bonitate ex captiuitate plus quam Baby-
lonica, Antichristi Romani liberauit, Et vocauit de tenebris
in admirabile lumen suum, vt virtutes eius enarremus. Et
precemur indefesso studio, vt hanc verbi sui lucem immensa
bonitate accensam, pro sua clementia , contra corruptelas
phanaticorum & sophistarum , hostiumq; Tyrannidem &
persecutionem consernet, adq; posteritatem nostram
propaget, vt ipsum inde verè agnoscamus, colo-
mus & prædicemus, in hac & futura
perpetua vita. Amen.



D 3 R E S.

RESCRIPTIO SANCTI HVLDERICI EPISCOPI AVGUSTENSIS, in qua Nicolao Papæ, de Continentia clericorum, non iustè, sed impie: non canonice, sed indiscrècte tractanti, ita respondit.

NICOLAO, DOMINO ET PATRI PERVIGILI,
S. Rom. Ecclesie prouisori, Huldericus, solo nomine
Episcopus, amorem ut filius, timorem
ut seruus.

Vm tua ô pater & Domine, decreta super
clericorū Continentiam, nuper mihi trans-
missa, à discretione inuenirem aliena, timor
quidam turbauit me cum tristitia. Timor
quidem propter hoc, quod dicitur, Pastoris
sententiam, siue iustum, siue iniustum, timē-
dam esse. Timebam enim infirmis scripturæ auditoribus, qui
vel iusta vix obediunt sententiæ, ut iustum conculcantes libe-
rè, onerosa, imò importabili pastoris præuaricatione præcepti
se obligarent. Tristitia verò vel compassio dum dubitabam,
qua ratione membra cauere possent, capite suo tam graui mor-
bo laborante. Quid enim grauius, quid totius Ecclesie com-
passione dignius, quàm te, summa sedis Pontificem, ad quem
totius Ecclesie spectat examen, à sancta discretione vel mini-
mum exorbitare? Non parum quippe ab hac deuiaisti, dum
Clericos, quos ob Continentiam coniugij monere debebas, ad
hanc imperiosa quadam violentia cogi volebas. Nunquide-
nim meritò communi omnium sapientum iudicio hæc est vio-
lentia, cum contra Euangelicam institutionem, ac sancti Spi-
ritus dictationem, ad priuata aliquis decreta cogitur exequē-
da?

da? Cum ergo plurima veteris ac noui Testamenti suppetant
exempla, sanctam, ut nosti, discretionem docentia, tuae rogo
ne grane sit paternitati, vel pauca ex pluribus huic pagina in-
terserserunt. Dominus quidem in veteri lege sacerdoti coniugium
constituit, quod illi postmodum interdixisse non legitur. Sed in
Euangelio loquitur: sunt Eunuchi, qui se castrauerunt pro-
pter regnum cœlorum, sed non omnes hoc verbum capiunt: qui
potest capere, capiat. Quapropter Apostolus ait: De virgi-
nibus præceptum non habeo,, consilium autem do. Quod e-
tiam iuxta predictum Domini, non omnes hoc consilium ca-
pere posse consideras, sed multos eiusdem consilij assentato-
res, hominibus, non Deo, pro falsa specie continentia placere
volentes, grauiora vides committere. Patrum scilicet uxori-
es subagitare, masculorum ac pecudum amplexus non
abhorrire, ne morbi huius aspersione adusq; pestilentia
am conualescente, nimirum status labefactetur Ecclesia
totius: Propter fornicationem, dixit, unusquisq; suam ha-
beat uxorem. Quod specialiter ad laicos pertinere, idem
mentiuntur hypocrit.e: qui licet in quovis sanctissimo or-
dine constituti, alienis reuera vxoribus non dubitant
abuti. Et quod siendo cernimus, OMNES IN SVPRA
DICTIS SAEVIVANT SCELERIBVS. Hi nimirum
non scripturam recte intellexerunt, cuius mamillam quia du-
rius pressere, sanguinem pro latte biberunt. Nam illud A-
postolicum, unusquisq; suam habeat Vxorem, nullum excipit
verè, nisi professorem continentia, vel eum qui de continuan-
da in Domino Virginitate præfixit. Quod nihilominus tu-
am, Pater reuerde, concedet strenuitatem, ut omnem qui
tibi manu vel ore votum faciens continentia, postea voluerit
apostatare, aut ad votum exequendum ex debito constringas,
aut ab omni ordine, canonica autoritate deponas: & hoc ut

viriliter implere sufficias, me omnesq; mei ordinis viros ad-
iutores habebis non pigros. Verum ut huius voti nescios, om-
nino scias non esse cogendos, audi Apostolum dicentem, ad Ti-
moth. Oportet, inquam, Episcopum irreprehensibilem esse,
unius uxoris virum. Quam ne quis sententiam ad solam
Ecclesiam verteret, subiunxit: Qui autem domui sua prece-
se nescit, quomodo Ecclesie Dei diligentiam habebit? Simi-
liter, inquit, Diaconi sint unius uxoris viri, qui filii suis
benè prasint, & suis domibus. Hanc autem uxorem à Sacro
dote benedicendam esse, sancti Sylvestri Pape decretis, scio
te sufficienter docuisse. His & huiusmodi sanctis scripture
sententijs, Regule Clericorum scriptor non immerito cōcor-
dans, ait: Clericus sic pudicus, aut certè unius matrimonij
vinculo fæderatus. Ex quibus omnibus veraciter colligit,
quod Episcopus & Diaconus reprehēsibiles notantur, si in ma-
lieribus multis dividuntur: Si vero reiecrit, unam sub obtent
re religionis abiiciunt, utrumq; scilicet Episcopum & Diaconum,
sine graduum differentia, hic canonica damnat sente-
tia. Episcopus aut Presbyter uxorem propriam nequaquam
sub obtentu religionis abiiciat: si vero excommunicetur: et si
perseuerauerit, deiciatur. Sanctus quoq; Augustinus, sancta
discretionis non inscius: Nullum, inquit, tam graue facinus
est, quin admittendum sit, ut deuitetur peius. Legimus pra-
terea in Secundo Tripartita Ecclesiastica libro historia, quod
cum Synodus Nicaea hec eadem vellet sancire decreta, ut
videlicet Episcopi, Presbyteri, Diaconi, post consecrationem
à proprijs vxoribus vel omnino abstinerent, vel gradum des-
ponerent: surgens in medio Paphnutius, ex illis Martyribus
quos Maximus Imperator, oculis eorum dextris euulsis, &
sinistris suris incisis, damnauit, contradixit, Honorabiles
confessus nuptias, ac castitatem esse dicens connubium cum
propria

propria uxore persuasitq; Concilio, ne talem ponerent legem: grauem afferens esse causam, que aut ipsis, aut eorum coniugibus occasio fornicationis existiceret. Et hec quidem Paphnusius, licet nuptiarum expers, exposuit: synodusq; eius sententiam laudauit, & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in unicuiusq; voluntate, non in necessitate dimisit.

Sunt vero aliqui, qui sanctum Gregorium sua secta sumunt adiutorium: quorum quidem temeritatem video, ignorantiam doleo. Ignorant enim, quod periculosem huius heresis decretum à S. Gregorio factum, condigno pænitentie fructu postmodum ab eodem sit purgatum. Quippe cum die quadam in vivarium suum propter pisces misisset, & allata inde plusquam sex millia infantum capita videret, intima mox ductus pænitentia ingemuit, & factum à se de abstinentia decretum, rante cædis causam confessus, condigno illud, ut dixi, pænitentia fructu purgauit: suoq; decreto prorsus damnato, Apostolicum illud laudauit consilium, Melius est nubere quam viri addens ex sua parte, Melius est nubere, quam mortis occasionem præbere: Hunc forsan rei euentum, si illi mecum legissent, non tam temere, credo, indicarent, Domini saltem tenentes præceptum: Nolite iudicare, ut non indicemini. Inde Paulus dicit: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? suo Domino stat, aut cadit: statib; autem, potens est enim Dominus statuere illum.

Ceserit ergo sanctitas tua cogere, quos tantum deberet admonere: ne priuato, quod absit, præcepto, tam veteri quam novo contrarius inueniaris testamento. Nam, ut ait sanctus Augustinus ad Donatum, solum est quod in tua iustitia pertimescimus, ne non pro lenitatis Christiana consideratione, sed pro immanitate facinorum censes coercendum: quod te per ipsum Christum ne facias obsecramus. Sic enim peccata compescenda sunt, ut supersint quos peccasse pænitentia. Il-

lud & Augustini volumus te recordari, quod ait: Nihil
nocendi fiat cupiditate, omnia consulendi charitate, & nihil
fiat immaniter, nihil inhumaniter. Item de odem: In timo-
re Christi, in nomine Christi exhortor, quicunq; non habetis
temporalia, habere non cupiatis: quicunq; habetis, in
eis non presumatis. Dico autem, non si ista habetis, dam-
namini: sed si in istis presumatis, dannamini, si propter ta-
lia magni vobis videamini, si generis humani conditionem
communem propter excellentem unitatem obliniscamini.
Quod nimurum poculum discretionis ex illo fonte apostolica
hauseritis prædicationis: solutus es ab uxore, noli querere
uxorem: alligatus es uxori, noli querere solutionem. Vbi &
subditur: Qui habent uxores, tanquam non habentes: & qui
utuntur mundo, tanquam non utantur. Item dicit de vidua:
Cui vult nubat, tantum in Domino. Nubere autem in Do-
mino est, nihil in contrahendo conubio, quod Dominus pro-
hibeat, attentare. Hieremias quoq; ait: Nolite confidere
in verbis mendaci, dicentes: Templum Domini, Templum
Domini, Templum Domini est. Quod Hieronymus expo-
nens. Potest, inquit, & hoc illis virginibus conuenire, que iac-
tant pudicitiam suam impudenti vultu: preferunt castita-
tem, cum aliud habeat conscientia: & nesciunt illam Apostoli
definitionem de virgine, ut sancta sit corpore & spiritu.
Quid prodest corporis pudicitia, animo constuprato: si cat-
eras virtutes, quas propheticus sermo describit, non habuerit?
Quas quidem, quia te aliquatenus habere videmus, & quia
discretionem, licet in hac se neglectam, in alijs tamē vita tue
constitutionibus eam honeste conseruatam non ignoramus:
huius intentionis prauitatem citò correcturum non despera-
mus. Et ideo non quanta possumus grauitate, istam licet gra-
uissimam negligentiam corripimus & iudicamus. Quanquā
enī secundum vocabula, que uetus obtinuit, sit Episcopatus
Presbyterio

Presbyterio maior: tamen Augustinus Hieronymo minor est,
Et à minori quilibet non est fugienda aut dignanda cor-
reptio: præsertim cum is qui corripitur, & contra veritatem,
& pro hominibus, niti inuenitur. Neg. enim, ut sanctus
ait Augustinus ad Bonifacium, quorumlibet disputationes,
quamvis catholicorum & laudatorum virorum, velut scri-
pturas canonicas habere debemus: ut non liceat salua hono-
rificentia, qua illis debetur, aliquid in eorum scriptis impro-
bare atq; respuere, si forte inuenierimus, quod aliter senserint,
quam veritas habeat, diuino adiutorio vel ab alijs intellecta
vel à nobis. Quid autem veritati magis contrarium potest
inueniri, quam hoc, cum ipsa veritas de Continentia lo-
quens, non unius hominis, sed omnium planè, excepto nu-
mero Professorum continentia dicat: Qui potest capere
capiat. Quod isti unde nescitur instigati dicant: Qui
non potest capere, feriatur anathemate. Quid verò per ho-
mines fieri potest solidius? Quid diuina maledictioni obli-
gatus, quam cum aliqui, vel Episcopi videlicet, vel Ar-
chidiaconi, ita præcipites sint in libidinem, vt neque as-
dulteria, neque incestus, neque masculorum (proh pu-
dor) turpisimos amplexus sciant abhorrire, quod casta
clericorum coniugia sibi dicant fætere, & ab eis non vera
iustitia compassio, ne clericos ut consenuos, cogant vel mone-
ant continere, sed ut seruos iubeant ac cogant abstinere? Ad
eius imperij, ne dicam cōsiliū, tam fatuam, tamq; turpem ad-
dunt suggestionem, ut dicant: Honestius est pluribus oc-
culte implicari, quam aperte in hominum vultu & con-
scientia cum una ligari. Quod profectò non dicerent, si ex
illo & in illo essent, qui dicit: Vt vobis Pharisaïs, qui omnia fa-
ctis propter homines. Exper Psalmistam: Quia hominibus
placent, cōfusi sunt quoniam Dominus spreuit eos. Hi sunt ho-
mines, qui prius deberent nobis persuadere, ut in conspectu

cius, enī omnia nuda & aperta sunt , erubescamus peccatores esse , quam in conspectu hominum mundi esse. Licet ergo merito sua prauitatis nullius Consilium mereantur pietatis: nos tamen memores humanitatis diuine , eis consilium authoritatis nunquam à pietate vacates, per viscera ministramus, charitatis. Dicimus nempe: Eycē primum hypocrita trabem de oculo tuo , & tum perspicias ut eycias festucam de oculo fratris tui: Illud quoq; rogamus eos attenderes quod Dominus dicit de meretrice: Qui sine peccato est vestrum, primus in eam lapidem mittat. Quasi diceret: si Lex iubet, si Moses iubet, iubeo & ego, sed competentes legis ministros exigo. Attenditis, quid additis: attendite quoſo & quid estis: quia, si te ipsum, ut ait, scriptura perspexeris, nulli unquam detraxeris.

Significatum est nobis etiam de quibusdam eorū, qui tan-
ta apud se intumescant elatione, ut gregem Domini, pro quo
boni Pastores animas non dubitant ministrare, isti verberi-
bus absq; ratione presumant laniare, quorum sententiam
S. Gregorius deplorans ait: Quid fiet de ouibus, quando
Pastores lupi sūnt? Sed quis vincitur , nisi qui sānit? quis
verò persecutorem iudicabit, nisi qui dorsum suum ad
flagella patienter ministravit? Operæ precium est autem, ut
audiatur, quo fructu tantum Ecclesia Dei scandalum, tan-
tum Clerus despectum, & ab ipsis Episcopis, & ab eorum in-
fidelibus patiatur. Nec enim eos infideles dicere dubitan-
rem, de quibus Paulus Apostolus dicit ad Timotheum. Quia
in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, atten-
deres spiritibus erroris & doctrinis Demoniorum, in hypocrisi
loquentium mendacium, & cauteriatam habentium consci-
entiam, prohibentium nubere. Hic est autem, si diligenter
inspiciatur, totius eorum manipulus Zizania, totius conuen-
tus insanie, ut dum Clerici licita vnius mulieris consortia

Phariz

Pharisaico deuicti , quod absit, furore, relinquere coguntur , fornicatores & adulteri & aliarum prauitatum turpisimi ministri cum ipsis efficiantur. Qui hanc in Ecclesia Dei heresin , sicut cœci duces eorum machinantur , ut videlicet illud impleatur , quod Psal. eis utpote eorum praescius erroris, taliter imprecatur: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua.

Quia ergo nemo, qui te, ô Apostolice, nouit, ignorat, quod si tu per tui decreti sententiam , tantam futuram esse pestilentiam solidæ discretionis claritate perspexisses , nunquam quorumlibet tam prauis suggestionibus consensisses. Debita tibi subiectioonis fidelitate consulimus ut vel nunc ad tanti scandali ab Ecclesia Dei propulsionem evigiles: & qua nosti discretionis disciplina, Pharisaicam , ab oculi Deo exiirpes doctrinam, ne scilicet unica Domini Sunamitis, adulterinis diutius usum maritis, gentem sanctam regale sacerdotium, per irrecuperabile à suo sposo Christo videlicet auellar diuorum: dum nemo sine castimonia non tantum in virginali

flore, sed etiam in coniugali habita coniunctione, vi-

surus sit Dominum nostrum: qui cum Deo patre

& Spiritu sancto vivit & regnat per
omnia secula seculorum,

Amen.

1-734566

